

SERIES ALPHABETICA huius
VOLUMINIS.

A
De Actionum cessione. pag. 952.
in successoris universales. 972.
necessaria. 986.
Alienatione. 686.
A. R. P. q. l. G. 123.
Assurance. 668. b.

C
De Cambijs. 674.
Codicillis. 392.
Collatione. 271.
Comodato. 538.
Conductione. 612.
Conditionibus. 344.
Conubijs iure. 69. 75.
Constitutionibus P. P. 45.
Contradijs innominatis. 650.
Cessione actionu. 952. 972.
Civitatjs mutuo. 986. 500.

D
De Decretis. 45.
Delegatione. 910.
Deposito. 550.
Denunciatioe litis. 636.
Divisionibus iuris. 1.
Dominio. 123.

E
De Errore. pag. 778.
Evidentijs. 626.
Excussiois Except. 924.

F
De Fidei. 704.

I
De Institutione Heredu. 309.
Inventario. 412.
Integri restitutioe. 808.
iuris divisionibus. 1.
iure conubijs. 75.
restitutiois. 428.
retentionis. 884.
innominatis q. libijs. 650.

L
De Legitimatione. 83.
Legitima. 237.
Locatione. 612.
Legibus. 17.
Litis denunciatioe. 636.

M
De Matera tutela. 98.
Metus restitutioe. 632.
Monopolis. 592.
Mutuo civitatis. 500.
Novatione. 896.
Optione. 381.

34

626

DISPUTATIO JURIDICA
DE
EVICTIIONIBUS.

Quam

DEO TER OPT. MAX.

feliciter annuente,

Consensu & Auctoritate Nobilissimi & Amplissimi
Ictorum Ordinis in celeberrimâ & florentissimâ
UNIVERSITATE
ALTDORFINA,

PRESIDE

JOACHIMO ÖLHAFIO

J. U. C.

Exercitii gratiâ

Ventilandam proponet

ANTONIUS EULENAU

TORGA-MISNICUS.

Mense Junio

ANNO M. DC. XXX.



ALTORFFI

E Typographia Balthasaris Scherffii,
Universitatis Typographi.



Autores.
Gaspar Caballing. h. & h. v. v.
Donnelly. h. & h. v. v.

INCLUTIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS AC Prudentissimis Dominis,

**DNN. PRÆCONSULIBUS ET
CONSULIBUS INCLUTÆ ET
Florentissimæ Reipublicæ
GEDANENSIS,**

Dominis suis omni subjectione colendis,

Disputationem hanc

*Devotione ac mente religiosâ,
quâ par est,*

**DICAT CONSECRATQVE
JOACHIMUS ÖLHAFIUS.**



DISPUTATIO
DE EVICTIONIBUS.

ΣΥΝ ΘΕΩ.

Vestibula operum speciosa esse debere monet JCrus in *l. 1. d. O. 1.*, ut libentius ad lectionem propositæ materiæ producatur, & cum ibi venerimus, evidentiorē præstent intellectum; Ast enim cum præsens de Evictionibus materia commendatione non egeat; utilitas quippe ipsa se ostendit; diutius in his immorandum non putavimus, sed rectè ad ipsam disquisitionem properandum duximus. Quamvis verò argumentum hoc, quod tractamus, abstrusum sit, non tamen illicò absterri debemus, quo minus id, quod discendi cupidine à nobis suscipitur, perficeremus. Cum invocatione igitur Nominis divini præmissâ sequentes Theses subjiciemus.

THESES I.

Eviçtio (A) est rei emptæ (B) rectè (C) facta ablatio (D) amissiove (E) German. die Gewehr / Erwerb-
dung / Schadloshaltung (F.)

(A) Eviçtio elegans nomen est, à *Cic. act. 2. in Verr. & Virg. 4. Aneid.* usurpatum, significatq; evincere, idem, quod vincendo aliquid ab aliquo auferre & consequi, ut ex *Liv. lib. 2. & Columell. lib. 6. c. 5.* probat *Gasp. Caball. tract. de Eviçt. præfat. n. 1.* Unde in disputando atq; omni orationis contentione, quod vi argumentorum ac dicendo ab adversario extorquemus, ut concedat, evincere ab illo dicimur: Eoq; modo nunc accipitur. Sed quoniam verbo juris utimur, & in contentionibus civium inter ipsos de rebus negotijsq;

A 2

OMNI

omnibus, quæ jure suscipiuntur, hæc una vincendi ratio est, si jure
judicioq; agamus; eò fit ut evincere hoc loco id sit, rem non quovis
modo, sed per judicem auferre & avocare ab emtore, vincere deniq;
judicio rem illius non esse, de qua quæritur. *Donell. tract. d. Evict. c.*
3. Cujac. in w. ff. & C. d. Evict. (B) Emtionis verbo omnem aliena-
tionem l. x i i. Tab. complexa videtur l. *statu liberi 29. §. f. d. stat.*
lib. quemadmodum venditionis appellatione omnis contractus con-
tinetur l. sicut. 8. §. venditionis. ii. quib. mod. pign. vel hypot. solv. Un-
de quamvis frequentiùs in Emtione tantum Evictio locum habeat,
in multis tamen alijs causis etiam eidem locum esse infra *th. 6. de-*
monstrabitur. (C) Unde infertur, quod si per injuriam judicis
vel imprudentiã sequatur evictio l. *siper imprudentiam 51. pr. d. Evict.*
l. si non injuria 15. C. cod., vel quia Emtor fuit in culpâ non defendendo
l. si deò 55. d. t., aut non denunciando litem suo auctori l. *emptor 8. C. d. t.*
non teneri venditorem de evictione, ut dicitur *th. ult.* (D) Judicio
scil. l. *non tamẽ 24. d. Evict.* quod nisi fit, quoquomodo res ablata fu-
erit, id Emtori nocebit, non venditori. *d. l. 24. h. t. Donell. d. Evict.*
c. 4. (E) Per sententiam vid.; nam si suâ voluntate nemine cogẽ-
te rem quis amiserit, puta si servũ manumiserit l. *si servum 25. d. t.* si
fundum emtum religiosum fieri passus sit l. *siper imprudentiam. 51. §.*
si quis locum 2. d. t., sibi imputare debet emtor, non venditori *Do-*
nell. d. loc. Et hæc est definitio *Caballin.*, quam tradit & explicat in
d. tract. d. Evict. §. 1. Aliam eodem tamen sensu, proponit *Azo in*
summ. C. d. Evict. quod evictio sit emptæ rei, vel ex aliquâ justâ causâ
acceptæ per Judicis sententiam abductio, vel alio evincente causâ
amissio. Aliam proponit *Wesemb. in w. ff. d. Evict. n. 1.* quod sit
rei nostræ, quam adversarius legitimo titulo acquisierat, per Judi-
cem recuperatio, quam probat *Trentl. Vol. 2. Disp. 2. th. 5. lit. A.*,
refutat *Bach. ibid.* Coeterùm de origine evictionis hic inquirere li-
bet, quam *Caballin. d. tract. prefat. n. 5. morib. perversis* adscribit:
Cum enim accideret, ut promissa non adimplerentur, vel quia non
esset res promissa in bonis promissoris, vel facilè à manu accipientis
extorqueretur secutâ traditione, vel quia in limine contractus im-
mineret evictio, ut homines avocarentur ab hujusmodi alieni pro-
missis sub specie ac velamine rei propriæ, introductum fuit remedi-
um evictionis, ne quis facilè circumveniretur, monente *D. Paulo r.*
ad Thes.

origo.

ad Thef. 4. v. 6. (F) De quib. vocib. vid. Wehner. in Obser. Pract.
voc. Gewehr.

11.

EviCTIONEM quadruplicem facimus cum Caballino
(A): Expressam (B), tacitam (C), solennem (D) & im-
propriam (E).

(A) d. tract. §. 2. (B) quæ est, quando quis simplum vel du-
plum eviCTIONIS nomine à venditore stipulatus est; Hoc enim casu
dicimus emtorem expressè sibi providisse pro eviCTIONE l. non ex
eo. 30. C. d. evict. Quamvis enim Bach. ad Treutl. d. Dissp. 2. th. 5. lit.
B. existimet simplum stipulatione regulariter promissum non fu-
isse, sed duplum tantum, refragari tamen videtur l. hoc jure 27. l. si di-
ctum 56. d. evict., ubi expressè stipulationis simplæ fit mentio. Et li-
cet Bach. Cujac. lib. 11. Obs. c. 4. secutus in posteriori textu pro sim-
plâ, duplam substituat, tamen cum à receptâ lectione recedendum
non sit, ipsi assentiendum non putamus. (C) Tacitam appellat
Caball. d. §. 2. n. 3. quando venditor de eviCTIONE se non obligavit, ad
eam tamen ex naturâ contractus tenetur. l. non dubitatur 6. C. d. evict.
l. exempto 11. §. & in primis 2. d. A. E. & V. (D) quæ est, quando in-
tervenit fidejussor, qui verborum solennitate intercedit l. blanditus
12. C. d. fidej. l. auctore 7. & l. seq. C. d. evict. Quæ solennis eviCTIONE
multis in casibus contingere potest, quos ponit Bart. in l. 1. §. sti-
pulationum. n. 1. & seq. d. stipul. prator. & refert Caballin. d. §. 2. n. 7.
& seqq. Primus est, quando expressè conventum est inter partes,
ut venditor pro eviCTIONE det fidejussorem, quem secundum auto-
rem lex appellat l. illud 4. d. evict. l. 1. §. stipulatio dupla. 8. d. stip. prator.
Secundus casus est, quando in limine contractus imminet eviCTIONE. l.
habitationum 18. §. fin. d. peric. & comm. rei vend. Tunc autem dicitur
eviCTIONE imminere in limine contractus, quando pretium nondum so-
lutum est. l. si post perfectam 24. C. d. evict. Tertius casus est, quando pa-
ter vendit bona filiorum, in quibus habet usumfructum, tunc enim
pater debet præstare fidejussorem pro eviCTIONE. l. 1. ubi gloss. C. d.
bon. mater. Quarto, quando regionis consuetudo id exigit, ut ven-
ditor fidejussore exhibeat l. si fundus 6. d. evict. l. quod si nolu 31. §. quia
assidua 20. d. edil. edict. Quinto, quando creditor cogitur in solutum

A 3

capere

628

Expressa.

Tacita.

Solennis.

1.

2.

NB. Evictio in limine
joh imminere.

3.

4.

5.



Impropria.

NB. pacta non sunt
Evictioe qd est.

Juliano

capere ex bonis debitoris, tunc debitor fidejussorem præstare tenetur, qualem potest *c. quod autem 3. Nov. d. fidejuss. & mand. 4.* (E) Improperia evictio est, quando venditor pactus est, ne de evictione teneatur *l. ex emto 11. §. fin. d. A. E. & V.* Tenetur tamen nihilominus re evicta, non quidem ut utilitatem præstet, id est, quod emtoris interest (nam huc pertinet, eamq; vim habet conventio, ne præstet) sed ut pretium reddat, quod accepit. Neq; enim bona fidei contractum hanc pati conventionem Julianus scribit, & Ulpianus probat, ut emtor rem amitteret, & pretium venditor retineret. *Donell. d. tract. d. evict. c. 2.* Et hoc verum si generaliter pactum factum sit, *Cab. d. §. 2. n. 24.* Nam si prædictum sit emtori, quid esset in re, unde res postea ab emtore avocari possit, id actum intelligi, ut si acciderit, ne pretium quidem venditor restituat, alioquin frustra id expresserit. *l. qui libertatis 69. d. evict.* Nec mirum, si in eo, qui rem vendens generaliter, ne evictionis nomine teneretur, sibi cavet, diversum respondeamus. Nam cum de evictione rei nihil certò prædixerit, rem tanquam aliquo jure ad se pertinentem vendere intelligitur; sed quia veretur, ne ob ignotam aliquam causam fiat, ut evincatur (nam si sciret, exprimeret) ideò sibi cavet. Quod cum facit ideò facere existimandus est in re dubia, non ut ea res ipsi sit compendio, sed ut ne noceat, id est, ne rei evictæ utilitatem omnem, quæ non erit consecutus, præstare cogatur, non ut pretium lucretur, quod sine incommodo suo restituere potest. *Donell. d. tract. c. 2.*

III.

Evictionis autem nomine Venditor (A) Emtori (B) re evicta, (C) non tota tantum sed etiam parte, (D) obligatur.

(A) Qui quamvis ex naturâ contractus ad eam præstandam teneatur *l. non dubitatur. 6. C. d. evict. l. ex emto 11. §. & in primis 2. d. A. E. & V. l. evicta 16. pr. d. evict.* etiam si nihil super eâ convenerit *d. l. non dubitatur 6.* quia vacuam bonorum possessionem tradere *l. si in emtione 2. §. 1. l. ratio 3. §. si iter 2. d. A. E. & V. l. fistulas 78. §. 1. d. contr. emt. & l. in conventionalibus 52. §. ult. d. V. O. Amplis. & Consult. D. Erasmus Vngepaur ICtus. &c.* Doctor noster omni observantiæ & honoris cultu æternum prosequendus in prælect. ad tit. ff. d. Act. Emto. & indem.

629.

& indemnem servare emptorem debet, ac pretij acceptione, cujus fit dominus *l. 2. d. rer. permut. l. si servos 7. C. d. A. E.* ad dominium contra rei vel evictionem hoc nomine praestandam ex ratione synallagmatis se devincit *l. Iulianus 13. §. offerris 8. d. A. E. & V. Paul. lib. 2. sent. tit. 17. Wes. in w. ff. d. Evict. n. 2. Reverendis. & Illustris. D. Andreas Lipski & c. cent. 1. Obs. Pract. 51. n. 1.* ubi praedictio Curiae Regalis Regni Poloniae hanc sententiam confirmat: Tamen plerumque per stipulationem sine satisfactione *l. emptori 37. & l. si dictum 56. d. evict. cavere hoc nomine solebat vel promissione simplae, vel duplae. Wes. in w. ff. d. evict. d. n. 2. Trent. Vol. 2. D. 2. th. 5. lit. E. F. G. & H* Est autem stipulatio duplae idem quod dupli: subauditur enim quantitas sive aestimatio, ut sit stipulatio quantitatis duplae aestimationisve ejus rei, quae distracta est. Unde quod duplam dicimus, duplum dici plerisque in locis legimus ut *in l. vindicantem. 17. d. evict. l. pen. C. eod. tit. Don. d. tract. c. 1.* Sed an Judaeus venditor etiam de evictione tenebitur? De Jure quidem Saxonico non teneri eum textus est in *Sandrecht lib. 3. art. 7. & Weichbildt artic. fin. ubi gloss. Trent. d. D. 2. th. 5. lit. C.* Jure tamen nostro secus esse probat *Wehner. in Obs. Pract. voc. Gewehr / & Hun. ad Trent. d. th. 5. lit. C.* (B) qui plerumque pro evictione, id est, in casum, quo genere vindicationis rem, quam accepit, ex causa emptionis vel aestimationem ejus amittat, & eam ei rem habere non liceat, his ferè verbis sibi stipulatur à venditore: Eum hominem, quem de te emi & accepi, mihi per te hereditumque tuum & per omnes recte habere licere, & si is homo, quo de agitur petitus erit, vel si eum hominem ego ab alio petiero, tum de ea re agenda adesse, cum tibi hereditate tuo denuntiavero, & eam rem recte defendere, & si is homo mihi per judicem evictus erit, vel si eum hominem ego à possessore per judicem evincere non potuerim, tum duplam mihi recte praestari spondes? *Cuj. in w. C. de evict. Add. Gasp. Caball. d. tract. §. ult.* (C) Tunc enim demum committuntur stipulationes ob evictionem, & emptori adversus venditorem regressus est *l. qui rem 3. C. d. evict. Caball. d. tract. §. 3. n. 160. Donell. d. tract. c. 3. Wes. in w. de evict. n. 5. Trent. d. D. 2. th. 5. lit. E.* Ad hoc autem, ut res evicta intelligatur, tria concurrere oportet: Primum est, ut res certò emptori ablata sit, ut eam illi habere non liceat, seu ut ei omnis spes habendi abscisa sit *l. evictus 35. d. evict.* Quamdiu ergo emptor rem possidebit, tamdiu

2.
A.
Summa stipulationis.
3.

auto

autorem suum convenire non potest, quamvis res aliena aut obligata esse dicatur, idq; fortasse etiam constat. *l. qui rem 3. C. d. evict.* Proinde ne lite quidem mota de proprietate rei vendita ad pretium restituendum conveniri poterit *l. si plus 74. §. mota 2. d. evict.* Hoc amplius et si jam emtor in evictione rei sententiâ judicis victus est, si quo modo fiet, ut res ei non abducatur, dicimus stipulationem ob evictionem non committi. *l. habere 57. d. evict. Don. d. tract. c. 3.* Alterum requisitum est, ut iudicio avocetur: Quod nisi fiat, quoquomodo res ablata fuerit, id emtori nocebit, non autori *l. non tamen 24. d. evict.* Sic enim intelligetur per venditorem fieri, quò minus habere liceat, si necessitate iudicij cogente emtor rem amiserit: Proinde si vires adempta sit *l. ult. C. d. A. E. si ve casu perierit*, ad venditorem is casus nihil pertinebit *l. Lucius 11. l. si servos. 21. d. evict. l. si quis tibi 26. C. eod.* multoq; minus si emtor suâ voluntate, nemine cogente rem amiserit *l. si servum 25. l. si per imprudentiam 51. §. si quis locum 2. l. ult. d. evict. l. si dictum 56. §. si compromisero 2. d. 1. meritoq; his casibus adversus Venditorem actio non est*, quia et si res aliena non esset, tamen eodem modo apud emtorem amitteretur. Sed et si res non voluntate emtoris ad dominum pervenerit sine iudicio ob id solùm, quod aliena esset, actio ob evictionem non erit, nec stipulatio ob evictionem committetur. *Don. d. tract. c. 4.* Tertium requisitum est, ut ob id vincatur, quod res aliena vendita fuerit, aut pignori obligata, deniq; quod jam tùm in eâ causâ fuerit, ut emtori ob eam causam avocari posset, nec emtori habere liceret. *l. Herennius 63. §. 1. d. evict. Don. d. tract. c. 5.* Et hæc tria regulariter concurrere oportet, ut evictionis periculum sustineat venditor; Sunt tamen casus, in quibus etiam re non evictâ Emtori evictionem prestare necesse habet Venditor, quos refert & sequitur *Caball. d. tract. n. 162. (D) l. 1. l. minor. 39. §. si à me bessem 2. d. evict.* cum enim verû sit, ei rem habere non licere, cui totâ habere non licet, consequitur ut parte quoq; evictâ duplæ stipulatio committatur. Ubi tamen distinguendum esse putamus cum *Wes. in w. ff. d. evict. n. 9.* inter partes homogeneas, quæ nomen totius habent, & heterogeneas, quib. nomen totius non convenit: ut priori quidem casu vel ex emto vel ex stipulatione agere liceat, posteriori verò ex emto tantùm. *arg. l. nave 36. §. 1. d. evict.* Quam distinctionem sequitur *Pac. cent. 5. q. 34. & Bach. ad Treub.*

Ampl.

2.

3.

Except.

Trent. d. D. 2. th. 6. lit. D. ibiq; *Hunn.* maximè per rationem d. l. 56. §. 2. d. t. ubi dicitur partis adjectionem necessariam esse, si homo venditus sit, quod aliàs non possit dici homo evictus: Quæ ratio si concludere debeat, sequitur omninò illi actioni locum non esse, nisi vel illud ipsum evictum est, quod venditum fuit, vel de quo nomen rei venditæ prædicari potest.

IV.

Si tamen regressum emtor in venditorem habere velit, necesse est, ut eidem (A) præsentem (B), etiam scientem (C), maturè (D) denunciaret (E) litem sibi motam, etiam in causâ notoriè injustâ (F).

(A) *l. auctore 7. cum l. seq. l. sicum questio 17. C. eod. aut ejus heredi. l. emtor 8. l. emti 21. C. d. t.* Sed quid si plures sint heredes, an omnibus in solidum nuntiandum est? Illud certum, quod si plures sint domini, omnibus nuntiandum esse; idem in pluribus heredibus dicendum, *l. in executione 85. §. in solidum 5. d. V. O. l. cum successores 23. C. d. evict.* quoniam evictionis indivisa natura est *l. cum ex causa. 139. d. V. O.*, & secutâ denuntiatione omnium, si unus solùm sustineat iudicium & vincat, omnibus vincit: si vincitur, contra absentes, quasi defensor pro evictione ager, textus est in *l. si rem 62. §. 1. d. evict. evict.* Et hoc ideò quia quodammodo totam suam causam defendere debet, cui in solidum denuntiandi necessitas est: nec audiretur si pro parte defendere paratus sit *l. sicum uno 4. si ex nox. caus. agat. Caball. d. tract. §. 3. n. 133.* Quid, si hereditas jaceat, quomodo consultum erit emtori? *Paul. de Castro*, citatus à *Caball. d. §. 3. n. 137.* putat denuntiandum esse hereditati jacenti quantum ad conservandum sibi regressum de evictione saltem quo ad pretium, arg. *l. si dictum 56. §. fin. d. evict.* & tunc satisfactum erit, si fiat ad domum venditoris mortui. Sed quid si heres sit pupillus? Huic si tutor absit, denuntiandum est *d. l. si dictum 56. §. f. d. evict.* Ratio est, quia fit damni evitandi, & non lucri captandi causâ, nec etiam requiritur, quod persona cui denuntiat, sit legitima *l. minor. 39. §. 1. vers. denuntiare d. evict.* cum enim fiat ad jus protestantis conservandum, sufficit, si taliter facta sit, qualiter fieri potuit *l. si deo 55. §. f. d. t. Caball. d. §. 3. n. 142. Don. ad l. emtor. 8. n. 10. C. d. t. & in tract. d. evict. c.*

B

s. Trent.

Lv.

Af.

Lv.

Lv.

Mf.

praesens
95. sic de.

Sciens.

Obj.

Sp.

Exij.

reij.

§. Treut. d. D. 2. th. 7. lit. A. ibiq; Hunn. Quod emptoris favore receptum esse putamus cum *Molin. tract. d. usur. n. 309.* (B) Animadvertendum enim est id exigi, ut praesenti tantum denuntietur, absentem requirere nihil necesse est *l. si deo 55. in. d. t.* Praesentem accipimus eum, qui in continentibus aedificijs est, quemadmodum absentem, qui extra continentia urbis est. *l. absentem 199. d. V. S.* Quod si igitur praesens sit venditor denuntiare ei debet emptor, si quidem potest; si per eum non fiat, quo minus ei denuntietur, stipulatio committetur. Quid enim si curavit venditor, ne sibi denuntiari posset, aut venditore nihil faciente emptor cognoscere, ubi esset, non potuit *d. l. si deo 55. d. t.* Praesenti autem denunciatum videbitur, siue ipsi venditori, qui de evictione promisit, siue eo praesente, nec ignorante procuratori ejus denunciatum est. *l. si dictum 56. §. si praesente 4. d. t. Don. d. c. 5.* (C) Venditori enim, licet jam ante seiat, litem moram, tamen adhuc ipsi denuntiandum erit per *l. emptor. 8. d. si cum quaestio 17. l. si parentes 20. C. d. evict.* qui textus generaliter loquuntur, & indistincte denuntiationem litis motae requirunt. Ratio est, quia denuntiatione non ideò tantum fit, ut sciat venditor, sed imprimis, ut causa assistat, & emptorem defendat, quod irrequisitus facere non tenetur, cum nemo operam suam invito offerre aut in re aliena curiosus esse debeat *l. qua omnia 25. d. procur. Covar. lib. 3. V. R. c. 17. n. 3. Caball. d. tract. §. 3. n. 1. & seqq. Fach. lib. 2. contr. c. 35. Duar. adl. emptor. 8. C. de evict. ubi etiam Donell. n. 10. & Ssichard. n. 16. Treut. d. D. th. 7. lit. B. Nec obstat regula l. 1. in f. d. A. E. & V. & c. eum qui 31. d. R. I. in 6. quo movetur gl. add. l. emptor 8. C. de evict. & Dyn. in d. c. 31, quod is, qui certus est, ulterius certiorari non debeat. Resp. enim, eam procedere, quando denuntiatione requiritur ad simplicem scientiam habendam, si verò ad id, ut sciens aliquid faciat, omnino necessarium esse, ut etiam scienti denuntiatione fiat, arg. *l. denuntiasse. 17. §. quid ergo. 2. adl. Jul. d. adult. Ssichard. d. n. 16.* Excipit tamen Covarr. d. loc. minorem, in quo singulariter receptum putat, ut is scienti venditori denuntiare necesse non habeat, quia is ex re ipsa absq; interpellatione debitorem in mora constituit. *l. in minorum 3. C. in quib. caus. restit. in integr. nec.* Sed ratio illa non satis concludere videtur; non enim sequitur, ex re ipse mora fit; E. necesse non habent denuntiare, cum hic non agatur de solutione, sed defensione & instructi*

structione causæ, ad quam venditor irrequisitus se offerre non teneatur. *Ilic. Vmm. Disp. ad Proces. 21. th. 6. n. 20.* Sed quid, si venditor juravit se defensionem ad futurum, an & hic sciens litem sibi motam ulterius requirendus erit? Negativam tenet *Covarr. d. lib. 3. V. R. c. 17. n. 5. Fach. lib. 2. contr. c. 36.* Verum affirmativa placet *Gomes ad Si rem si quis 11. n. 10. l. d. act. Caball. d. tract. §. 3. n. 54. Trent. d. D. th. 7. lit. A. ibiq; Bacho.* quia juramentum sequitur naturam rei, cui accedit *l. fin. C. d. non. num. pec. c. quemadmodum 25. d. jurejur.* Et quamvis efficacius obliget, tamen novam quasi obligationem inducere non potest, præsertim cum & hoc casu venditor probabiliter existimare possit, emtorem propterea non denuntiare, quod causæ confidat & per se defensionem sufficiat. *Ilic. Vmm. d. th. 6. n. 20. (D)* *Wes. in w. ff. d. evict. n. 5.* Mature a denuntiasse videtur, qui denuntiavit ante publicatas attestaciones, ut Autor tempus legitimum ad probandum haberet sive ante sive post litem contestatam id factum fuerit *l. si rem 29. §. f. d. t. Marant. in specul. part. 6. memb. 5. n. 5. Caball. d. §. 3. n. 144.* Quod & Praxin non solum Curia, sed judiciorum quoq; Terrestrium omninò tenere, & juxta id in judicijs Regni Tribunalibus frequentissimè judicari docet Reverendis. & Illustris. *D. Lipski d. Ob. 51. n. 7. (E)* In primis enim ab emtore hoc exigitur, ut cum de re distracta à Domino convenitur, venditori denuntiet, ut ad agendam causam adsit. Sic enim ille admonitus causæ agenda & instruendæ adesse potest, & rebus necessarijs ad sui juris probationem allatis efficere, ne emtor vincatur. Quod nisi fit, si victus est, de se queri debet non de venditore. Quamobrem sic hac de re jus constitutum est, ut si per emtorem stet, quò minus præsentem venditori denuntiet litem sibi moveri, & ad defendendum adesse jubeat, actio de evictione ei non datur *l. si fundo 53. §. 1. l. si deo 55. in f. d. evict. l. si emtor 8. l. si controversia. 9. l. si cum questio 17. l. si parentes 20. C. eod. tit. c. fin. d. emt. & vend.* Hoc autem veteres autorem laudare dixerunt *l. Herennius 63. §. 1. d. t. l. auctore 7. C. eod.* Auctorem autem appellamus venditorem, & generaliter quisquis est, à quo rem ex venditione, donatione, permutatione, aut aliâ quâ justâ causâ nobis traditam accepim⁹, qui nobis habendi scil. & possidendi causam & initium dedit; deniq; qui, cur rem haberemus, nobis autor est. *l. apud Celsum 4. §. de auctoris 27. & §. auctoris 31. d. dol. mal. & met. except.*

2v.

af.

Tempus denuntiandi.

Auctorem laudare §.

B 2

Landa



Lv. *Finis Lanivus*
N3/
Di
Sp.
Laudare verò veteribus dictum est idem, quod nominare & citare, ut testatur Gell. lib. 2. N. A. c. 6. & Macrobius lib. 6. c. 7. Sed controversum hinc est, An sufficiat simplex litis motæ denuntiatio, an verò prætereà venditor requirendus sit, ut liti adsistat & emtorem defendat? Et posterius quidem docet Bart. in l. non solum 8. §. morte. 6. n. 51. d. op. nov. nunt. Marant. in spec. p. 6. memb. 5. n. 12. Fach. lib. 2. contr. c. 35. & communem hanc esse Dd. opinionem testatur Caball. d. tract. §. 3. n. 21. Prius verò juri nostro magis convenire videtur, in quo nusquam requiritur, quod præcisè venditor rogandus sit, ut causæ defendendæ assistat, imò ex l. sicum questio 17. C. d. evict. simplex litis motæ denuntiatio sufficere videtur. Est enim denuntiationis hic finis, ut venditor liti adesse causamq; instruere debeat. l. 1. C. d. per. & comm. rei vend. l. emti 21. l. si permutacionis 29. C. d. evict. proinde semper, licet expressè declaratus non sit, denuntiationi inesse videbitur, arg. d. l. sicum questio 17. Bach. ad Tr. d. D. th. 7. lit. A. (F) Nam & hoc casu venditori denuntiandum esse tradit Marant. in specul. p. 6. mem. 5. n. 16. Donell. d. tract. d. evict. c. 4. & Bach. ad Tr. d. th. 7. lit. A. quia actio de evictione sub hac conditione datur, si denuntiaverit venditori & iudicio res evicta fuerit d. l. emtor 8. d. l. sicum questio. 17. l. emti. 21. C. d. evict. l. evictus 35. l. habere 57. eod. Conditiones autem juxta vulgatam regulam in formâ specificâ sunt implendæ. Nec quicquam facit pro contrariâ opinione, quæ communis est, quamq; tuetur Dd. Covarr. d. lib. 3. V. R. c. 17. n. 6. Caball. d. tract. d. evict. §. 3. n. 74. Fach. lib. 2. contr. c. 37. Treut. d. th. 7. lit. A. quod denuntiatio fiat ad effectum defensionis, quæ hinc nulla esse videtur. Respond. enim, non esse emtoris de venditoris causâ judicare an ea defendi possit, cum multa sæpè in facto versentur, quæ emtorem facilè latere possunt. Et hoc licet ita sit, æquitati tamen consona est sententia Covarr. quam proponit d. c. 17. n. 6., ut emtori, si suscipiat in se on⁹ probandi injustitiam causæ venditoris, & quod nullum jus in re habuerit, detur regressus contra venditorem, per ea quæ habet Covarr. d. loc.

V.

Porro denuntiatione factâ venditor emtorem defendere tenetur (A) in foro rei conventi, non suo (B):
tene-

tenetur etiam ad omnes expensas litis necessarias (C) etiam si pacto fuerit remissa denunciandi necessitas (D), aut venditor latitaverit (E).

(A) Jure quidem civili intra 30 annos l. si obligata 19. & l. em-
ti 27. C. d. evict. postea emptorem amplius defendere non tenetur,
cum tutus sit præscriptione, dd. text. Quâ in re diversa Juris Saxo-
nici videtur esse dispositio, utpotè quo evictio ad vitam usq; vendi-
toris præstari debet per. textum Landrecht lib. 3. artic. 83. in verbis:
Wer eigen oder sarende hab vorkaufft / des sol er ein gewehrter sein / die
weil er lebt / Man sol ihm auch das Gut lassen zugeweren / zubehalten
vnd zuverliefen / dieweil er es vortretten soll. Quibus ad stipulatur tex-
tus Weichbild art. 30. Quæ verba, ut generalia innuunt evictionem,
tam de bonis mobilibus, quàm immobilibus, ad vitam usq; vendi-
toris, quamdiu in humanis est, præstari debere. Intelligendum
tamen hoc est de absentibus, contra præsentem enim anno & die
locum habet evictio, per expressum textum Weichbild artic. 27. in
verbis: Dieser / der das eigen also gegeben hat / der sol sein Gewehrter sein
an dem Gut Jar vnd Tag / als Recht ist / das sind sechs Wochen vnd ein
Jahr. Quem textum gl. ibidem de eo casu inter præsentem accipien-
dum esse tradit Reverend. & Illustriss. D. Lipski sæpè laudatâ Obs. 57.
n. 13. ad fin. (B) Venditor enim emptoris judicem sequi solet. l. ven-
ditor 49. d. judic. l. 1. C. ubi in rem act. exer. Caball. d. §. 3. n. 118. Trent. d.
D. th. 8. lit. A. Et hoc duplici ratione 1. quia ibi cœptum est judi-
cium l. ubi acceptum. 30. d. judic. 2. quia venditor, quasi procurator
est emptoris, unde eum in ejusdem tanquam competenti tribunali de-
fendere debet l. sed & hæc 35. §. non solum 2. d. procur., emptor enim
convenitur & non venditor. Et hoc procedere notat Caball. d. n. 118.
sive venditor uteretur hac exceptione declinatoriâ jure privilegij si-
ve jure communi; Hac enim tunc demum jure & cum effectu utitur,
eademq; actorem ad privilegiatum suum forum trahit, quando ipse
convenitur suo nomine, non quando alium defendit. Trent. d. Dis.
2. th. 8. lit. A. Nec obstat, quod venditor surrogetur in locum em-
ptoris, quando emptorem defendere debet; quia non simpliciter in
locum emptoris surrogatur venditor, sed surrogatur ei tanquam de-
fensor, & tanquam procurator. Sed quid de Clerico dicendum,
B 3 An &

ob.
R.
2



An & hic declinare poterit forum Judicis secularis, & agentem trahere ad suum Judicem Ecclesiasticum? Quod negatur per *d.l. venditor 49.*, ubi agitur de venditore, cui ex privilegio competebat declinatoria judicij, & tamen de hoc venditore in genere asseritur, quod teneatur defendere emtorem in ipsius foro. Non adversatur, quod Clericus habeat proprium judicem ex privilegio *c. Clericum nullus 17. q. 1. c. si diligenti 12. d. for. comp.* Nam hoc verum est, quando conveniuntur & ipsi lite pulsantur, non quando alios actione conventos & lite pulsatos defendunt. Interim tamen non prohibetur Clericus coram seculari magistratu emtorem defendens uti jure ex beneficio & privilegio sibi competente. *Did. Covarr. Pract. quest. c. 8. n. 3. Caball. d. §. n. 119. & 120. Trent. d. th. 8. lit. B. ibiq; Hunn. & Bach. Myns. cent. 1. ob. 22.* Quid in fisco venditore dicendum, an hic causam ad suum judicem revocare potest? Quod itidem negat *Covar. d. c. 8. n. 3. Caball. d. tract. n. 124. & seq. Trent. d. th. 8. lit. C. ibiq; Hunn.* tum propter generalitatem *d.l. venditor 49.* in qua generaliter & absq; ulla distinctione deciditur, venditorem non posse ex privilegio declinare forum emtoris: tum ex illa ratione, quod fiscus utitur jure privati, quoties non reperitur expressè privilegiatus: Jam verò privilegium habet foricum ipse convenitur, eoq; privilegio gaudet quoad suas duntaxat proprias causas, quæ fiscales dicuntur. *t. t. C. ubi fiscal. caus. (C). Caballin. d. tract. §. 3. n. 148. Tr. d. th. 8. lit. D.* Et quidem si emtor damnatus sit, dubium non est, quin sumtus quos in litem fecit, ipsi refundi debeant, sed ad eos refundendos venditor obstrictus & obligatus sit, si quidem damnum ad ipsum spectare debet, qui causam ei præbuit; Jam verò damnum hoc contigit culpam venditoris rem alienam distrahentis, idcirco ad ipsum meritò pertinebit. Quid autem si hoc in casu in libello non petierit emtor restitutionem impensarum utrum illarum nihilominus rationem habere, & venditorem in eas condemnare iudex debeat, quaeritur? Affirmantium sententia placet, actio quippe quæ ex emto de evictione datur est bonæ fidei, idcirco omne id, quod emtori à venditore æquum & bonum est præstari, continet §. *in bone 30. l. d. action. Trent. d. th. 8. lit. E.* Cæterum si emtor iudicio absolutus fuerit, utrumne recipiat sumtus à Venditore, quos fecit in litem, deq; illis actionem habeat contra venditorem, non admodum expeditum videtur. Affirmativa placet *Cab. d.*

Expansio

2.

A.

9.

Cab. d. § 3. n. 146. sed rectè improbat *à Treut. d. ib. § lit. D* ubiq;
Hunn. propter l. si status 18. C. d. evict. l. si per imprudentiam 51. eoa. §.
cum autem 3. l. d. emt. & vend. (D) l. Herennius 63. pr. d. evict. tunc
 enim venditor de evictione tenetur, etiamsi denuntiatio pro evicti-
one interposita non esset. Facit text in *l. queritur 14. §. si venditor 9. d.*
adil. ed. ubi renuntiantibus jura sua non est regressus dandus: Et
 probatur per rationem generalem, quia quilibet favori suo renunti-
 are potest *l. si quis in conscribendo 29. C. d. pact.* Nec obstat, quod ista
 necessitas denuntiandi non possit remitti, quia inducta est à lege,
 quæ sic præcipit *l. si fundo 53. §. fin. l. si ideo 55. in f. d. evict.* ubi a. lex
 præcipit, ei renuntiare non posse notat *glos. in l. 2. C. ne fidejus. dot.*
dent. Nam Resp. illud verum esse, nisi lex ipsa hoc permitteret, ut
 contingit in proposito. Unde quamvis *l. emtor 8. C. d. evict.* denegat
 regressum emtori non denuntianti adversus Venditorem, nihilomi-
 nus non procedit, si pacto fuerit remissa denuntiatio. *d. l. Herennius*
63. pr. d. evict. Caball. d. §. 3. n. 114. & 115. (E) ne ei denūtiari potu-
erit. l. cum successores 23. & l. si permutationis 29. C. d. evict. tunc enim
 quia malitiosè abest, videtur abesse quoad sui præjudicium. *Caball.*
d. §. 3. n. 98.

VI.

Quamvis autem in contractu emptionis tantum
 propriè (A) procedat evictio; tamen in alijs quoq;
 causis, ut Emphyteusi (B), locatione conductione
 (C) permutatione (D), legatis (E), non tamen in
 donatione simplici (F), dote (G), & transactione
 (H), eidem locum esse verum est.

(A) Quippe quæ nihilominus ex naturâ contractus subintel-
 ligitur si de eâ nullum verbum factum sit in instrumento *l. non dubi-*
tur. 6. C. d. evict. l. pacta conventa. 72. d. contr. emt. Caball. d. tract. §.
4. n. 1. (B) Caballin. d. §. 4. n. 55. (C) l. si quis domum 9. pr. loc.
cond. Cab. d. §. 4. n. 56. (D) permutatio enim obtinet vicem em-
tionis l. 2. C. d. rer. permut. & est similis venditioni l. fin. quib. ex caus.
in poss. eat. Differentia tamen inter permutationem & venditionem
 circa dandam actionem re evictâ in eo est, quod evictâ re traditâ ex
 causâ permutationis datur actio præscriptis verbis *l. naturalis 5. §. 1.*
d. præsc. ver. in contractu venditionis datur actio ex emto. l. 1. C. d.
rer. per-

ver. permut., quamvis in contractu emtionis nondum evicta re agi
 non possit *l. qui rem 3. C. d. evict.*, tamen in permutatione statim age-
 re poterit, si imminet periculum evictionis. *l. si n. d. cond. caus. dat.*
caus. non sec. Cabal. d. §. 4. n. 43. (E) Certum enim est heredem te-
 neri de evictione pro portione hereditaria. *l. quidam ex parte 12. d.*
evict. l. 2. C. eod. Gl. tamen in l. si domus 71. §. de evictione 1. d. leg. 1. qua-
tuor axiomatibus hunc articulum explicat, quæ recenset *Cabal. d. tract.*
§. 4. n. 9. & seq. Primum axioma est, quando legatur aliquid in genere,
 tunc debetur evictio magis ex qualitate obligationis, quam titulo
 legati. *l. qui concubinam 29. §. si heres 3. d. legat. 3. l. si à substituto 45. §.*
heres 1. d. legat. 1. Regula enim est, quod ubi quis tenetur in genere
 facere rem accipientis, tenetur & per consequens de evictione. *Ca-*
ball. d. loc. Secundum axioma est, quando legatur certa species, quæ
 est ipsius testatoris: quo casu si evincitur, heres non tenetur, quo-
 niam sufficit rem dari, qualis est *l. si à substituto 45. §. 2. d. legat. 1.* dum-
 modo illa qualitas non sit causa evictionis. *l. Mævius 66. §. in fundo*
4. d. legat. 2. Caball. d. §. 4. n. 16. & seqq. Tertium axioma est, quando
 legatur res aliena à sciente, tunc heres tenetur de evictione *l. cum*
alienam 10. C. d. legat. Cab. d. §. n. 20. Quartum axioma est, quando le-
 gatur res aliena ignorantè, & tunc si legatur extraneo, non valet, &
 cessat evictio: si verò conjunctæ personæ valet, & debetur evictio.
d. l. cum alienam 10. In terminis tamen evictionis quatuor differentiæ
 notandæ sunt inter legatarium & emtorem. Prima differentia est,
 quia legatarius quando agit de evictione contra heredem, petit rem
 legatam ac si nunquam sibi fuisset soluta *l. qui concubinam 29. §. si he-*
res 3. d. legat. 3.: Emtor verò agit actione ex emto ad interesse *l. ven-*
ditor hominis 8. & l. si in venditione 60. d. evict. & l. non dubitatur 6. C.
eod. Caball. d. §. 4. n. 34. ubi etiam differentiæ rationem assignat. Se-
 cunda differentia est, quia venditor factâ traditione & re non evictâ,
 potest directò conveniri actione ex emto, ut caveat *l. 2. ibiq; gl. d.*
evict. heres verò non potest directò conveniri ut caveat, ut in *d. l. si*
domus 71. §. de evictione 1. d. legat. 1. Caball. d. §. n. 35. Tertia differentia
 est, quia emtor non agit de evictione, antequam res evincatur *l. ha-*
berelicere 57. d. evict. sed legatarius etiam potest agere antequam
 evincatur, si constaret esse rem alienam, & esset casus in quo heres
 tenetur redimere à Domino, quia non est liberatus solâ traditione,
 cum

cum teneatur ad dandum *l. cum quis 38. §. qui hominem 3. d. solut. l. si à substituto 45. §. heres 1. d. legat. 1.* Quarta differentia est, quia legatarius debet denuntiare ante litem contestatam *l. qui concubinam 29 §. si heres. 3. d. leg. 1.*, emptor verò potest denuntiare quodcumq; ante sententiam. *l. si rem 29 §. fin. d. evict.* (F) idq; si à conventionem, si à traditione inceperit, *l. 2. & ibi Duar. C. d. evict. arg. l. ad res donatas. 62. d. edil. ed. Treut. d. Diss. th. 5. lit. D. ibiq; Bach.* Ratio hæc est, quia qui donat, censetur jus duntaxat illud transferre voluisse, quod in re ista habuit. *d. l. si domus 71. §. f. l. si à substituto 45. §. heres. 1. d. legat. 1.* ne alioquin pænam liberalitatis suæ patiat, si ultrà jus donatum aliquid ab eo exigatur. *d. l. ad res donatas 62. l. ne liberalitate 50. d. re jud.* Cùm igitur donator non sit ex donatione ad id obligatus, sequitur etiam quod de evictione non possit conveniri, si evictio contigerit. *l. Iulianus 131. §. qui fundum 1. d. V. O. Hunn. ad Treut. d. th. 5. lit. D.* (G) *l. 1. C. d. Iur. dot.* ex quâ probatur in casu rei inæstimatæ, si nulla intervenerit de evictione stipulatio, nullam actionem extra causam doli marito competere, sed bene si res æstimata data sit *l. quotiens 16. l. mater 34. d. jur. dot.* secundum quod explicandum est, quod de hypotheca pro evictione dotis obligata proponitur in *l. un. §. 1. C. d. rei ux. act. Bach. ad Treut. d. th. 5. lit. D.* (H) *l. si pro fundo 33. C. d. transact.* Sed quid de jure Patronatus dicendum, An & in eo evictio locum habeat? Et de seculari quidem tenet Bald. in *l. 1. C. d. peric. & com. rei vend.* quod evicto jure patronatus competat actio pro evictione, ad quam rem allegat text. in *l. Tuius 43. d. A. E. & V.* Sed & de jure Patronatus Ecclesiastico idem dicendum ut docet Caball. *d. tract. §. 4. n. 47. & 48.* Vid. *c. cum secularium 13. & c. ex literis 7. d. jure Patron.* Postremò quærere hîc libet, An & in feudo locum habeat evictio? Quod affirmatur per *c. 1. d. invest. d. re al. fact. 2. F. 8. ubi Alvarot. Azo ad rubr. C. d. evict. n. 7. Ludolf. Schrad. p. 5. c. 6. n. 5. & seqq.*

VII.

Competit autem evictionis nomine actio ex emto (A) & ex stipulatione simplæ (B) vel duplæ (C): quæ cessat si eam inhibuerit culpa emtoris (D), aut injuria iudicis (E), vel emtoris scientia (F) ut & pactum (G).

C

(A) Per

(A) Per quam non tantum pretium, sed omne id, quod interest, emtor consequitur, *l. si in venditione 60. l. evicta 70. d. evict.* quod tamen intra modum rationemque dupli regulariter subsistit *l. cum & forte 44. d. A. E. & V.* nisi aliud conventum fuerit: nam admitti conventionem tripli vel quadrupli apparet ex *l. si dictum 56. pr. d. evict.* & *l. securator 5. d. jur. fisc. Cujac. tract. 8. ad Afric. ad l. 44. d. A. E. & V.* quamvis aliud videatur *Giph. ad tit. C. d. evict. qui in d. l. 56. & d. l. 5. verba illa triplum vel quadruplum aliena & suppositiva contra omnium exemplarium fidem existimat.* Habet autem haec actio ex emto tunc praecipue locum, cum stipulatio simplae vel duplae interposita non est *l. non dubitatur 6. C. eod.* quamvis & interposita ea recte ex emto agatur, cum stipulatio praecedentem obligationem non novet, arg. §. 1. *l. quib. mod. toll. obligat. Gœd. d. contr. & comm. stip. c. 5. concl. 19. Tr. d. D. th. 6. lit. A.* (B) qua dicitur *condictio certae*, qua emtor simplum rei h. e. pretium consequitur. Sed num praeter rei pretium etiam id, quod interest, peti poterit? Affirmativa placet *Wes. in w. ff. d. evict. n. 7. & probatur arg. l. si in venditione 60. & l. evicta 70. d. evict.*, quae leges quamvis de actione ex emto loquantur, tamen de actione ex stipulatione simplae idem dicendum videtur, cum Emto eam adjiciendo non deteriore facere conditionem suam, sed potius de eo, quod ex natura contractus ipsi competebar, expressè cavere voluisse praesumendus sit. Aliud videtur, *Cujac. in w. C. d. evict. & Trent. d. D. th. 6. lit. B.*, quod confirmatur ex eo, quod actio ex stipulatione simplae stricti juris videatur arg. §. *actionum 28. l. d. action.* in quam non veniunt nisi ea, de quibus nominatim actum inter partes fuit *l. quicquid. 99. d. V. O.* Sed Respond. etiam in negotijs stricti juris venire ea, de quibus tacite probabiliter actum colligitur arg. *l. 134. §. 1. d. V. O.* Vel potius stipulationem, quando bonae fidei contractibus accedit, & ipsam naturam illorum imitari, & ex aequo & bono interpretationem accipere. arg. *l. 3. d. rescind. vend. Wes. in w. ff. a. pact. n. 10.* (C) qua ad duplicatum pretium emtor agit *l. si dictum 56. §. in stipulatione 2. l. cum fundus 48. l. vindicantem 17. d. evict.* Sciendum enim pretium hic duplicari, quamdiu id certum sit, non rei aestimationem & bonitatem, ut colligitur ex *l. si fundo 53. d. t. d. evict.* ubi quod *JCtus* de parte dicit, multo magis de toto dicendum est, quod semper certo pretio emtum constat. Ita q̄

Itaq; de toto evicto nulla dubitatio est; at cum pars evincitur, in quam pretium dictum non est, hinc existit dubitatio, quatenus partem evictam aestimemus, ut eatenus evictio præstetur. Et extat Ulp. in l. 1. & l. ex mille 64. b. r. distinctio in hanc sententiam: Ut si pars fundi pro indiviso evincatur, pro quantitate evictæ partis & modo sit regressus: si certus locus sit evictus, non pro modo sed pro bonitate regionis regressum habeat emtor ad venditorem. Donell. d. tract. d. evict. c. 7. Non recipit autem hæc actio augmentum aut diminutionem d. l. ex mille 64. d. evict. Wes. in w. d. evict. n. 8. Treut. d. D. th. 6. lit. C. (D) quæ consistit i. in eo, si absente autore aut defensionem defugiente emtor ipse iudicio non adsit: Tunc enim si contra eum iudicatum, quia iudicio non adfuit, absentia hoc ejus, non malæ causæ adscribendum est, quod victus fuerit, ideòq; adversus venditorem actionem non habebit ob evictionem. l. si de oss. pr. d. evict. l. emtor. 8. C. eod. c. fin. d. emt. vend. Ratio est, quia datâ contumaciâ emtoris, sententia videtur lata contra eum non propter defectum juris, sed propter negligentiam suam, ideò sibi imputare debet, & non venditori. Caball. d. tract. §. 5. n. 5. Donell. d. tract. c. 5. 2. si præsens quidem sit & causam agat, sed eâ exceptione summo- tus sit, quæ ipsius personæ objiceretur, id est, cujus causam ipsius factum præbuisse. Finge, cum possessore pactum esse, ne eam rem petat, jusjurandum ei detulisse, ut juraret rem suam esse, atq; illum jurasse; deinde cum res ab emtore peteretur, eum exceptione pacti aut jurisjurandi oppositâ condemnatum esse. l. hoc jure 21. cum l. seq. & l. Herennius 63. in. f. d. evict. Donell. d. c. 5. (E) Si enim injuria iudicis victus fuerit emtor, actionem ob evictionem habiturus non est. l. 1. C. d. rer. perm. l. si non injuria. 15. C. d. evict. & l. si per imprudentiam 51. eod. tit. c. fin. d. empt. & vend. siquidem injuria iudicis hoc maximè declarat emtorem bonâ causam habuisse, qui contra jus condemnatus sit; veluti si præscriptione longi temporis tutus emtor, aut transactione, quam in eadem re aliquando cum petitore vel ipse vel autor ejus interposuerat, eam in iudicio opposuerit; iudex autem cum harum exceptionum rationem in primis habere deberet, nullam habuerit. Nec referre Ulp. putat, utrum per errorem & imprudentiam iudicis ac stultitiam victus sit emtor, quo tempore tamen iudex facere injuriam non cogitabat; an verò per sordes & avaritiam

ritiam, cum pecuniâ corruptus Judex sciens prudens contra emtorē male judicat: omninò enim, inquit, injuria quæ emtori fit, auctorem contingere non debet *d. l. si per imprudentiam 51. d. evict. Caball. d. tract. §. 5. n. 6. Donell. d. c. 5.* (F) cum vid. is sciverit rem venditam alienam esse, aut pignori obligatam, & nihilomin⁹ eam emerit: *l. si fundum 27. C. d. evict. Caball. d. tract. §. 5. n. 31. Treut. d. D. 1b. 7. lit. C. ibiq; Hunn.* Et hoc casu re evictâ, ne pretium quidem, quod dedit, repetere potest, per expressum textum *d. l. si fundum 27. l. si fratres. 7. C. comm. utr. jud.,* quia qui dolosè contraq; præcepta legum agit, meretur pretium amittere. *l. pen. & ult. C. d. rescind. vend. l. quemadmodum. 7. C. d. agr. & cen. lib. 11. l. ult. C. d. præd. decur. lib. 10. l. ult. C. d. fund. rei priv. lib. 11. Covarr. lib. 3. V. R. c. 17. n. 2. Fach. lib. 2. contr. c. 40. Treut. d. Disp. 1b. 7. lit. D. ibiq; Bach. & Hunn.* (G) ne venditor evictionem præstaret *l. qui libertatis 69. d. evict. l. ex emto 11. §. ult. vers. ibid. ait. d. A. E. & V. Vid. supr. 1b. 2. lit. E. & Don. d. tract. c. 2.* Et hi præcipui sunt casus, qui actionem impediunt, plures qui desiderat is *Caball. d. tract. §. 5.* consulere potest.

Interea hæc de evictionibus exposuimus, ut nobis possibile fuit summo digito & quasi per indicem ea tetigisse, alioqui diligentior eorum scientia ex laudatis autoribus adventura est.

C O R O L L A R I A.

I. Electionem successioni præferendam esse statuimus cum *C. Corn. Tacit. lib. 1. Histor.*

II. Prestare in bello equitatum peditatui asserimus cum *Aristot. 4. Polit. 13.*

III. Satis compertum esse dicimus cum *Speckl. sicubi è terrâ cespitate seu cute terre, (mit wasen) Fortalitiamuniantur,* quod ea res parvo constet, nec è longinquo eam cum temporis summuumq; jacturâ parari oporteat.

IV. Propugnacula sibi simillima esse debere affirmamus cum *Bona-jut. Lorin.,* eo nempe ne magis unum altero vim hostilem experiatur. *Damit der Feind keinen vorthel eines oder das ander ehe anzugreifen.*

V. Tutius esse, si tormentorum ora superficiem lorice tantum stringunt (*Wann man über die Banet schieffet*) quam si foraminibus ejusdem inferuntur, *Wann es in barba stehet.*

F I N I S.


00 A 6343


ULB Halle 3
002 928 566



1. Rubre ✓ VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



626

ORIDICA

NIBUS.

MAX.

obilissimi & Am-

leberrimâ & flo.

SITATE

A,

LHAFIO

ia

onco

LENAU

cus.

XXX.

aris Scherffii,

graphi.

